



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. An Episcopi spoosint licite sine rationabili causa revocare approbationes liberas Regularium audiendi confessiones? Et an approbatio Regulariu[m] possit ab Episcopo ex iusta, & rationabili ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Et pro Confessariis secularibus, in t. 2. tr. 3. Ref. 6. in princ. & in tom. 3. tr. 1. Ref. 36. quāuis recitauerit lege eius §. Norandū secundo. & hic infra in Ref. 38. &c.

Alibi in Ref. quae hic est antecedens; & quoad hoc pro Confessariis secularibus lege doctrinam aliorum §§. eius primae annot.

§. 1. DE hac questione ego alibi, & latē illam discutit noster doctus P. Pasqualig. 10. 1. decis. 499. per totam, vbi citat plures DD. pro licentia negatiua! quibus addo Bordonum in *cons. Reg. resol.* 36. 9. 9. n. 38. Boffium de *Inhibito*, sect. 3. cas. 2. n. 10. & nouissimē Raphaelem Auerlam de *Sacram. Penit.* q. 16. sect. 4. asserentes in ordine ad Regulares licentiam confitendi ad beneplacitum durare etiam post mortem Episcopi, vt patet ex constitutione Clem. IV. quae incipit: *Exigentibus*, & in *Extrauag. Inter cūctas*, de *pruul.* §. vt autem, vbi. Datam verō licentiam per Diocesanos mortem nolimus terminari.

RESOL. LXXVI.

An reuocatio confessionum praesertim quoad Regulares facta ab Episcopo sine iusta causa, sit nulla? Et quid circa hoc, quoad Sacerdotes saeculares; Ex part. 3. tractat. 2. Refol. 22.

Sup. hoc in Ref. seq. & in Ref. 1. §. post seq. a §. 2. & infra in Ref. 79. & 81. §. Ab eodem, & supra in Ref. 67. cursum in fin. v. qui etiam addit pro illicita reuocatione, &c.

Sup. hoc in Ref. 2. not. preterita, §. 1. sed lege ea per totam, & in Ref. 3. d. annot. & in to. 1. tr. 3. Ref. 6. in princ. & hic sup. in fin. Ref. 74.

§. 1. Talem reuocationem non esse nullam docet nouissimē ex Valsq. Turrianus de *penit.* q. 8. art. 1. disp. 26. dub. 3. Imō Ioan. Sancius in *selectis disp.* 48. n. 23. tenet etiam non interueniente causa posse Episcopum licentiam confitendi reuocare.

2. Sed ego puto cum Portel in *dub. Reg. ver. confessoris presentatio*, n. 1. non posse Episcopum licite sine iusta causa approbationem semel concessam reuocare, quia potestas illi data est in adificationem. Deinde puto etiam probabiliter, licentiam sine iusta causa reuocatam esse nullam, & posse talem Confessarium ex vi prioris licentiae confessiones audire. Et hanc sententiam docet Suar. in 3. p. 10. 4. disp. 28. sect. 8. dub. 7. Ratio est, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio licentiae iustae sine causa; ergo non tantum erit iniusta, sed etiam nulla. Et licet haec opinio quoad Confessarios saeculares non sit ita certa; tamen quoad Regulares omnino tenendam esse puto, per ea quae adducunt Henriq. lib. 3. de *penit.* c. 6. n. 4. & Peirinus de *pruul. Minim.* 10. 1. cōst. 26. Leonis X. §. 6. n. 7. vbi sic ait. Si Episcopus Regularem debite praesentatum, & examinatum indebite reprobauerit, poterit nihilominus per eius priuilegia licite, & valide confessiones audire Nam hoc est contra Conc. Trid. *sess.* 23. c. 15. Nam credendum est, Concilium voluisse tantum idoneis ministris facultatem concedere confessiones audiendi, per examen Episcoporum recte & rationabiliter indicantium, non autem confouere aliquos eorum in suis passionibus, & odiis contra regulares, & quandoque cum maximo Christi Fidelium scandalo. Quare si quis Regularis cum licentia sui Praelati examinatus, & iudicio examinatorum, vel maioris partis ipsorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuerit ab Episcopo reprobatus (saluo saniori, & meliori iudicio) puto, quod licite, & valide poterit confessiones audire, si nihil obstat, v.g. quod non

fit malae famae, nec scandalose viuat quod tamen praesumendum non est, quando adest legitimi Superioris licentia. Ita Peirinus qui adducit Narar. Mirandam, Rodriguez, & alios asserentes Clem. *Dudum de sepul.* per Conc. Trid. esse reuocatum.

3. Igitur si Regularis potest audire confessiones, si iniuste ei licentia denegetur ab Episcopo, etiam poterit illas excipere, si iniuste reuocetur. Et tandem hanc sententiam praeter DD. citatos, tenet etiam Zanardus in *direct. Theo.* p. 1. c. 24. §. 7. vbi sic ait. Non possunt Ordinarij suspendere, vel impedire Regulares ab audientia confessionum, si semel eos approbauerunt; nam non habent nisi eos examinare, non autem eis iurisdictionem dare, cum habere illam intelligantur ante à Papa, ex suis priuilegijs, &c. Ita Zanardus. Verum in facti contingencia consulo Regularibus, vt ab excipiendis confessionibus se abstineant.

RESOL. LXXVII.

An Episcopi possint licite sine rationabili causa reuocare approbationes liberas Regularium audiendi confessiones?

Et an approbatio Regularium possit ab Episcopo ex iusta & rationabili causa restringi, & limitari ad certum tempus, locum, & personas?

Et an facultas audiendarum confessionum ad beneplacitum per Episcopos concessa, possit quancumque reuocari?

Et notatur, quod Regulares ab Episcopo antequam praenotato examine approbati, possint modernum Episcopum rursus examinare. Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 200.

§. 1. Affirmatiue respondet Gaspard. Hurtado de *Sacram. Penit.* disp. 10. diff. 19. vbi sic ait. Addimus reuocationem approbationis, etiam Religiosorum quantumuis sine rationabili causa pro solo nutu Episcopi factam esse validam, & licitam. Et in primis est valida, vt aduertit Valsquez, quia approbatio sine natura est reuocabilis, & nullo iure eius reuocatio limitatur. Ergo si de facto fiat reuocatio, quamuis absque rationabili causa fiat, erit valida. Deinde est licita, quia nullo iure prohibetur; non potest, quia nullibi extat, nec naturali, quia sicut in principio potuit ab Episcopo pro solo suo nutu ablati, quae causa licite negari, quia nullo iure Sacerdotis, nec alio titulo cogitur Episcopus ad id faciendum; ita etiam post eam factam poterit pro libito absque causa licite reuocari, quia post approbationem factam nullum apparet ius in approbato acquisitum, vt approbatio ipsius non reuocetur; quia quamuis approbatio sit instar sententiae, est tamen solum declaratiua sufficientiae, quam antea approbatus habebat; non collatiua alicuius in quo vel ad quod ius aliquod acquirit, ac proinde sicut potuit à principio licite pro solo nutu Episcopi non declarari sufficientia Sacerdotis; ita etiam declaratio semel facta poterit licite pro libito Episcopi reuocari. Ita Hurtado; Sed, pace viri docti, immerito quidem, & ideo contrariam sententiam teneo cum DD. quos citauit in 3. p. 11. 2. Refol. 22. quibus adde Mercetum, in 30. p. D. T. q. 8. ar. 4. dub. 2. n. 8. & hanc sententiam sequendam esse apparet ex declaratione sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium in *vna Giennensi, & Cretensi*, 10. Augusti 1630. quam affert Barbola in *collectan. de declarationum ver. Regulari Confessor*, & ver. *Approbat.* & ex alio decreto sacrae Congregationis 20. Nouembris 1615. quod affert Gauntus in *manuali Episc.* n. *Confessor* n. 23. & 24. & Peirinus in *pruul. Minim.* 10. 1. cōst. 2. Sixti IV. §. 1. n. 45. non possunt igitur ex dicto decreto

decreto Confessarij Regulares suspendi ab Ordinaris nisi ex nova causa atque ad confessiones ipsas pertinentes, aut ob non servatum interdictum, ab ipsis Ordinariis positum: vide si contra determinationes huius decreti Confessarij Regulares suspendantur ab audiendis confessionibus. Io. Bapt. Lezana, vir quidem doctus, & amicitiosus, in summa 99. Regul. cap. 19. n. 9. putat quod tenetur obedire, sed ne omittas videre me ipsum, ubi supra.

2. Ex his inferitur, quod licet secundum aliquos approbatio Confessariorum Regularium possit ab Episcopis ex iusta & rationabili causa restringi, & limitari ad certum tempus, locum, atque personas; si tamen id fiat sine iusta causa, probabilissimum est restrictionem non valere. Ita Lezana ubi supra, n. 8. Miranda in manuali tom. 1. q. 45. n. 10. Henriquez lib. 3. de pen. cap. 6. n. 5. §. 9. & vide omnino me ipsam loc. cit. * resol. 25.

3. Non desinam tamen adnotare, quod licet supra dicta sint vera, tamen Regularibus facultas audiendarum confessionum ad beneplacitum per Episcopos concessa potest quoadmodum revocari. Ita sacra Congregatio Episc. & Regularium in una Papiensi 12. Martij 1619. apud Barbolam loc. citat. ver. Regular. Confessor, & ver. Approbare. contra Peirinum, quem videbis penes me ipsum ubi supra, * resol. 26.

4. Et tandem nota, quod Regulares ab Episcopo antecessore praevio examine approbati, potest modernus Episcopus pro maiori conscientiae suae quiete rursus examinare. Ita S. Congreg. in una Albanensi 5. Februarij. 1628. & in una Giennensi 30. Ianuarij. 1629. apud Barbolam ubi supra contra aliquos DD. quos citavi, loc. cit. * resol. 27. Sed nostram sententiam nonnisi docet etiam Lezana in summa 99. Reg. c. 19. n. 7. & Aldanus in compen. Can. ref. lib. 3. tit. 12. n. 8.

RESOL. LXXVIII.

An Confessarius Sacralis vel Regularis semel approbatus possit ab eodem Episcopo examinari, & licentia data revocari?

Et quid circa hoc quoad Regulares de Episcopo successore? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 62.

1. Negativè respondet Ivd. Cellotius de Hierarch. lib. 5. c. 25. ubi sic asserit. Tempore est, tempus approbationis exquiram. Putasne illam esse temporariam, an perpetuam? ex Superioris nutu pendere, an semel collatam detrahi non possit? Scis autem non esse gratiam, adeoque non perpetuè pendentem ex conferentis arbitrio; istud cum optime de iurisdictione delegata dixeris, non item de approbatione. Siquidem hæc testimonium est, quod neque merito negari potest, neque merenti eripi. Vt. n. qui Doctorem lauræ consecutus est, eam semper retinet, etiam mutata in eum conferentis voluntate: sic quod semel à te iudicatum est, in tuo amplius arbitrio non est. Quod scripsisti, scripsisti. Revocatum à Sacerdote approbationem, si iurisdictionem relinquas, validè absolvet, at non licitè: quemadmodum Doctori ius est docendi, quantumvis Superioris autoritate prohibeatur, & eo facto contra obedientiam Prælati debitam peccet. Quis igitur modus characterem illum delendi: si reddis incudi, si revocas ad examen, si recoquis illa purgatoria fornace. Quem autem; Sacerdotem seculari. Is si denuò satisfecerit, aliter impressa est approbatio, non obliterabis. Quia testimonium veritati datum perdurante obiecto perire non potest. Si prodiderit ignorantiam, ipse se de libro vitæ delent: pronuntia testimonium errore datum

Tom. VII.

fuisse: aut peritiam cui ante datum fuit, evanuisse, desinit esse approbatus.

2. De Religioso autem quid? Non ita mihi Lector, Quamobrem? Quia. n. semel præsentari sufficit. Cur hoc? Quia sic voluerunt privilegiorum dispensatores Benedictus XI. ea extravaigante, cui derogavit Clementina nostra, in iis tantum quæ Bonifacij Extravaiganti erant contraria. Nec à Trid. Conc. nec à Greg. XIII. revocatum est illud privilegij genus. Ac licet concederemus illud ab eorum aliquibus antiquatum fuisse; restituit tamen Pii V. pietas quoad forum conscientie: qui FF. Minoribus postulante Ministro Generali vitæ vocis oraculo confirmat, & concedit omnia privilegia, & quævisque gratias, etiam vocis oraculo concessas per bonæ memoriæ Paul. IV. & alios Rom. Pontifices Prædecessores Sanctitatis siæ, cum singulis clausulis, & decretis derogantibus in eis contentis: ita vt illis gaudere, & vt possint toties quoties opus fuerit, & eis videbitur. Et quoad illa quæ sunt restricta seu derogata per Conc. Trid. etiam vt illis possint in foro conscientie tantum. Certè Author est Henric. Pium V. motu proprio concessisse, vt Religiosus ab aliquo Episcopo examinatus ab eodem iterum examinari non possit: quod si sit ex Mendicantibus, nec à * successore, vt addit Emanuel Sà. Ita Celotius, * Sup hoc in Ref. noc. seq

3. Cuius sententiam & merito quoad hoc vltimum non approbat Stephanus Bauny in Theol. Moral. p. 1. tr. 4. q. 10. & Ioan. Bapt. Pœpositus in 3. p. de Sacra. Pœnit. q. 8. d. 3. n. 17. vbi sic ait. Caterum Regulares Ordinum Mendicantium ab aliquo Episcopo approbati praevio examine, non possunt ab eodem examinari; possunt verò à successore: ita Pius V. in Bulla edita anno 1571. quæ incipit, Romani Pontificis: Quæ constitutio non est revocata per Greg. XIII. vt respondit Congregatio. Ita ille. Sed ne deseras recognoscere me ipsum in p. 3. tr. 2. * resol. 27.

4. Sed quoad revocationem licentiarum ego puto cum P. Lugò de sacram. Pœnit. disp. 25. sect. 3. §. 1. n. 63. & 64. Si approbatio Confessarij data sit ad beneplacitum posse ab Episcopo revocari licitè ex causa, & validè etiam absq; causa non solum secularibus sed etiam regularibus. Ratio est, quia approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus, transacto illo tempore cessat, vt diximus, & potest aliquando approbatio cum tali limitatione conferri ex causa iusta. Quod autem approbatio ad beneplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis: ergo aliquando licitè dabitur cum illa clausula, quando scilicet sunt causæ si præ adductæ ad dandam approbationem cum limitatione: semper autem valida erit limitatio, ita vt cessante beneplacito approbantis, approbatio eo ipso intelligatur cessare. Deinde assero ex iusta causa, & rationabili posse etiam Religiosis revocari approbationem prius absq; limitatione concessam: quod quidem quando rationabilissima saltem causa intercedit, non potuit negare P. Vasq. Erit autem controversia parvi momenti an causa debeat esse rationabilis, vel rationabilissima; nam si causa rationabilis est, sufficiens est si non sufficiens non est, erit inhi sufficiens, & per consequens irrationabilis. Porro posse intercedere causam sufficentem revocandi approbationem non videtur posse negari; si quidem potest intercedere causa sufficiens ad ferendi beneficium semel ritè & absolute collatum, quod multò magis radicatum ius confert, quàm approbatio: quæ cum sit sententia testimonij. perhibens de idoneitate alicuius, non apparet, cur mutato obiecto non possit licitè, & iuridicè revocari. Nam sicut ille qui hodie idoneus est, potest postea corruptis moribus, vel obliuione doctrinæ fieri ineptus: qui cum hodie declarat idoneum, poterit postea eum declarare ineptum, & tractare

Sup hoc in duabus præcedentibus Ref. & in Ref. seq. & in Ref. 81. §. ab eodem, & sup. in Ref. 67. in fin. v. Quæ etiã addit. in quibus agitur de illicita revocatione.

* Sup hoc in Ref. noc. seq

* Quæ hic est int. Ref. 80. & in aliis eius primæ not. Sup hoc etiam in Ref. 74. §. v. & lege alius Ref. & §. eius not. & not. primæ dictæ Ref.

in hoc que